

igitur æqualiter à Deo omnibus ætatibus sapientia indulgetur,
qvomodo occupari, sive præripi ab antecedentibus potuit no-
bis? qvomodo ingenia diuturnitate temporum possunt deflo-
rescere? (4.) Sed age, ut vel invitis extorqveamus veritatem,
retorqveamus infensa in ipsos spicula: largiamur ipsis mundum
jam senuisse, si namuseos non nisi antiqua exosculari, revera ta-
men, cùm antiquitas seculi, sit juventus mundi, nostra profectò esse
antiqua tempora negare nullo modo poterunt; non verò ea, quæ com-
putantur ordine retrogrado, initium sumendo à seculo nostro. (5.)
Quemadmodum autem majorem verum notitiam, & maturius judi-
cium ab homine sene expectamus, qvàm à Juvene, ob experientiam,
& eorum, quæ vidit, & audivit, & cogitavit, multitudinem: eodem
modo & à nostro aeo majora, qvàm à prescis temporibus sperare par est,
utpote ætate mundi grandiore, & infinitis observationibus cumulatâ
& auētâ. (6.) Restat igitur, ut cum Romano Sapiente conclu-
damus, multum quidem egisse, qui ante nos fuerunt, sed non omnia
peregisse, multum etiam adhuc restare operis, nec ulli nato post mille
secula precludi occasionem aliquid adhuc adjiciendi. (7.) Absit pro-
inde, ut rugas vetustiorum Inventorum vanō despiciamus super-
cilio, qvin potius comitemur Antiquitatem venerabundi, sed
ug, ad aras; (8.) cùm & hodiè educi è cerebris Minerva possit,
nec unquam adeò effœta ac sterilia sint ferrea quantumvis, imò
pejora ferreis tempora nostra, qvin nobilius metallum è venis
suis subinde protrudant. Qvandoquidem non minùs nostro
aeo humanæ rei summus ille Arbitr intercedit, potentiaeq;
suæ robur nobis concedit, qvàm illi, qvod majorene dicam au-
dacia, an errore, aureum sibi finxit & argenteum præcox anti-
qvitas. (9.)

Optimo Maximo illo Artium & Scientiarum Rectore ac Præ-
side, tanta sanè ingeniorum apud nos hodiè feracitas, tanta re-
rum noviter inventarum multitudo reperitur, tantaq; exculta-
rum artium est majestas, ut si quis veterum ætatem nostræ ante-
ferre sustineat, tenebris lucem, divitiis paupertatem, inopiae co-